

05

A

1557





2


CAPVT DOCTRINAE COELESTIS, DE BAPTISMO

Thesibus comprehensum, & ad publicam disputationem in Academia VVitebergensi propositum.

PRÆSIDE
SALOMONE GESNERO,
S. THEOLOGIAE D. ET PROFESSORE
Publico.

Respondente
AXELIO GUSTAVI OCHSENSTERN,
Nobili Sueco.

*Ad diem VI. Augusti Anno 1602. horis
& loco consuetis.*



WITBERGÆ,
Prælo Meisneriano, Anno Christiano
M. D. CII.

NOBILISSIMO, DO-
CTRINA MORVMQVE HVMA-
NITATE PRAESTANTISSIMO VIRO Domino
AXELIO GOSTAVI OCHSEN-
stern, Sveco,

Domino & Amico suo colendo,

PRAESIDE GESNERO tu, vir pranobi-
lis, acrem

Pro sacra pugnam religione capis:

Exemplar verè es cunctis, quos ardua Patrum

Facta perennarunt: tu decus ipse paras:

Et penè invidiam nostris conatibus addis,

Qui nequeo cursus equiparare tuos.

*Stella recens ex te, patria, OCHSENSTERN-
NE coruscat:*

Si sic non fulget, turbida semper erit.

*Cresce Dei in laudem, AXELI: non tutius
unquam*

*Cresces: laus summa est, laude merere
Deum.*

VVitteb. Anno DOMINICO

M. Iulio ser.

Iohan. Georgius Hochstaterus
Franc. P. l.



05 A 1557



THESIS I.



APUT DOCTRINÆ COELESTIS de Baptismo ad disputandum proposituri, illud primò in partium substantialium baptismi; Fructus item & Efficaciæ, atq; eorum, quæ his lucem aliquam adferre posse videbuntur, consideratione: Deinde in accidentalium, quæ salvo baptismo, eiusq; fructu vel adesse, vel abesse possunt, explicatione pertractabimus.

CAPVT I.

DEFINITIO BAPTISMI.

II.

Natura autem vis atq; efficacia baptismi ut eò penitus à nobis perspici cognosciq; possit, omnium visum est consultissimum, maximeq; nostro accommodatum instituto, si brevis eius definitio primo poneretur loco.

III.

Est igitur Baptismus Sacramentum Novi Testamenti constans aqua & verbo institutionis; ad hoc à Deo ordinatum, ut sit lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti Tit. 3. 5.

IV.

Ex hac nostra definitione, patet Baptismum (Sacramentum cum asseratur N. T.) & Deum agnoscere authorem (alioquin ratione Sacramenti habere non posset) & esse in Novo demùm Test: institutum: Quorum utrūq; sequentibus scriptura testimonijs invictè probatur. Luc. 3. 2. Ioh. 1. 33. Luc. 7. 30. Matth. 28. 19.

Author
Baptismi

A 2

Atqui



V.

Atqui si Baptismus populo Vet. Test: ignotus fuit, nonne inde evincitur, diceret Lojolistarum quissiam, scripturam Veteris Testamenti non fuisse perfectam, & plenè sufficientem, ut vos Lutherani traditis & huc trahitis sententias Deut. 4. 2. & 12. 32. Verum licet Baptismus ipso usu incognitus ante Christi adventum fuerit: interim tamen apud eundem veterem populum, tum clarissimis typis fuit adumbratus, ut Arcâ Noë. 1. Pet. 3. 20. 21. Aquâ Expiationis Num. 19. Circumcisione Col. 2. 11. 12. transitu Filiorum Israël per mare rubrum Exod. 14. ut quemadmodum salvus Israëlitis, aquis submersi sunt Egyptij, sic & nos peccatis aqua baptismi suffocatis & enervatis, salvi consistamus.

VI.

Tum illustrissimis Prophetarum vaticinijs prædictus, ut Esa. 12. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Zach. 13. 1. In die illa erit fons patens domui David & habitatoribus in Hierusalem in abluitionem peccatoris, &c. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam & mundabo vos ab omnibus inquinamentis vestris &c. Joel. 2. 18. Es. 44. 3. & deniq; Iohannes Baptista apertissime monstratus Esa. 40. 2. Malach. 3. 1. ut testantur Matth. 3. 3. Marc. 1. 3. Luc. 1. 4. Iohan. 1. 23.

VII.

Cum itaque baptismi mentio in Veteri Testamento & τυπικῶς & προφητικῶς habeatur: manifestum est, nullum novum doctrine caput in Novo Testamento doctrinae Moysis & Prophetarum accessisse, sed typorum saltem explicationem, umbrarumq; remotionem Col. 2. Ebr. 10. & vaticiniorum impletionem traditam & præstitam esse.

VIII.

Deinde substantiales Baptismi partes posuimus hæc duas: Verbum & elementum. Elementum est Aqua, non ali-

lius

lius liquor, Ioh. 3. 5. 1. Ioh. 5. 8. Verbum est duplex: unum
πρὸς ἄλλο μᾶλλον & mandati, quod cōplectitur & Finem & Formā:
Finis est, ut sit actio fœderalis sacra, quæ μαρτυροῦσι & discipuli
Christi fiant, cum quibus ipse DEVS fœdus init, Matt. 28. 19.
μαρτυροῦσθε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες. 1. Petr. 3. 21. ἐπερωτήματα
stipulatio: Forma consistit in verbis à Christo præscriptis, ut
baptismus fiat in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Marci 16.
Alterum verbū est ἐπαγγελία, promissionis, quod Deus per hoc
lavacrum dato Spiritu sancto sanctificet Ecclesiam Eph. 5. 26,
credentes & seruet Marc. 16. 16. Ioh. 3. Tit. 3.

IX.

Testatur id ipsum Iohannes Baptista tam factō Matth. 3.
6. 16. Marci 1. 5. quàm dictō Matth. 3. 11. Luc. 3. 16. Ioh. 1. 26.
Testantur id Apostoli suo exemplo. Act. 8. 36. & 38. & cap.
10. 47. & c. 22. 16. Testatur id veneranda antiquitas. Au-
gustinus in tract. 80. in Iohan.

X.

Quis ergo nisi extremè impius, relicto Dei verbo, alio u-
ri liquore in hoc sanctissimo lavacro, aliāq; verborum formā
licere iudicabit?

XI.

Haud is considerat, quanto Satan ardeat studio morta-
lium conscientias perturbandi; & tempore imprimis tentatio-
num ad desperationem redigendi.

XII.

Num talis actio (Baptismus enim depravatis substan-
tialibus dici non meretur) verbo Dei destituta ex fide profi-
cisci potest? Atqui quod ex fide non est, peccatum est, Rom. 14.
23. Hanc igitur opinionem ut à verbi divini tramite aber-
rantem & certissimam conscientiarum perniciem summo
jure repudiamus.

XIII.

Merito proinde Dionysius Alexandria episcopus cum
sua Ecclesia decrevit, baptismum Iudæi cuiusdam, sub imperio

A 3

M. Au-

M. Aurelij Antonini in solis aridisq; locis à Christiano arenâ baptisati, integrum non fuisse, Iudeumq; aqua iuxta Christi institutionem baptizavit. Nicephorus libr. 3. 37. Cedrenus folio 206.

XIII.

Novumq; & in Ecclesia minimè tolerandum est, quod Theodorus Beza epistola 2. ad Tilium scribit. Itaq; à Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio, pro pane & vino substituatur, quæ etsi non parem, similem tamen a limonia analogiam habeant. Desit etiam aqua, & tamen baptismus alicujus differri cum edificatione nec possit nec debeat, ego certè quovis alio liquore non minus ritè quàm aqua baptizarim.

XV.

Atq; hanc etiam ob causam eos, qui à Manichæis absq; aqua, quam illi à baptismo excludebant, quòd à malo Deo conditam opinarentur, baptisati erant, veteres baptismo carere rectè statuerunt. August. her. 46.

XVI.

Multò verò etiam iustius Gregorius lib. 9. epist. 61. statuit Bonosianos & Cataphrygas verum baptismum non habere, eò quòd in nomine S. Trinitatis non baptizarent.

XVII.

Sed ridicule sunt quæstiones quas summa angelica auctor de verborum istorum, Ego baptiso te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, rigida observatione movet. Sicut etiam illa, quam Bonifacius Zachariae Papæ proposuit, explosionem meretur, cum dubitaret, utrum is rectè esset baptizatus, quem monachus latine lingue ignarus hac forma consperserat: Ego baptizo te in nomine patria, & filia, & spiritu sancta, de consecr. dist. 4. cap. 86. Et frivola fuit contentio latinorum cum grecis ecclesijs; quòd illæ istis verbis uterentur: N. baptizatur in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Concilium Florent. sess. ultima: summa angelica.

CAPVT

CAPVT II.
DE EFFICACIA BAPTISMI.

I.

Occurrit, demum nobis in nostrâ definitione aliquanto
difficilior excutienda quaestio de $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha$ atq; efficacia Bapti-
smi, in qua licet Orthodoxis iam diu movet Gens Sacramen-
taria Baptismi vim tantopere enervans, ut vix quicquam
præter nomen (si quis accuratè perpendat) huic sancto lava-
cro relinquatur.

II.

Nos verò qui S. scripturae auctoritatem humani ingenij
figmentis anteponi oportere censemus, Christi atq; Apostolo-
rum assertione convicti statuimus, Baptismum (quem unum
& specie indifferentem Eph. 4. 5. agnoscimus) hunc in finem
à Deo esse institutum & ordinatum, ut sit medium & $\sigma\gamma\alpha\nu\omicron\upsilon\varsigma$
regrandi. Ioh. 3. 5. Tit. 3. 5.

III.

A peccatis mundandi. Eph. 5. 25. & 26. Peccata abluen-
di & remittendi. Act. 22. 16. & c. 2. 38. Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.
Salutem atq; omnia Christi beneficia conferendi. 1. Pet. 3. 21.
Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. 1. Cor. 12. 3. Col. 2. 11. Heb. 10. 22.

IV.

Hæc sunt Orthodoxæ sententia fundamenta firmissimâ &
quæ tametsi Adversariorum strophis oppugnari & tamen
non expugnari non solum, sed ne labefactari ullo modo un-
quam possunt.

V.

Quicumq; igitur, æterna salutis suæ aliquam rationem
habere cupit, is iudicet, utrum hisce solidissimis consultius sit
insistere scripturae testimonijs? An vero fidem adhibere Cal-
vino ipsiusq; sectatoribus qui Baptismum aquæ (duos enim ex
uno producant) nihil conferre, sed significare tantum & figu-
ratis

rare internam abluionem & regenerationem, quae intus perficitur per baptismum Spiritus (quem isti ab aqua Baptismo prorsus separant.) Deinde adoptionem multò antè nescio quas ob causas in arcano Dei consilio (quod sibi extra scripturam fingunt) factam obsignare scriptitant.

VI.

Sic namq; scribit Calvinus lib. 4. Inst. c. 14. § 22. Baptisma nobis, quod purgati & abluti sumus testificatur: Cæna Eucharistia, quod redempti. In aqua figuratur ablutio: in sanguine satisfactio. Item Petrus Martyr in Locis Comm: class. 3. c. 8. § 1. Quare (loquitur a. de similitudine symboli cum re) cum aqua eluat sordes corporis, fecundet terram & sitim restinguat, appositè significat remissionem peccatorum, Spiritum S. quae bona opera sanctificant, & gratiam, quae animi aestus refrigerat. Item § 4. obsignatur etiam nobis per baptismum jus ad vitam æternam.

VII.

Item Beza in Colloq. Mompelg. pag. 446. Lavacrum aquae est tantum significatio & representatio spiritualis Lavacri, in quo anima lavatur, hoc est, mundatur à peccatis, quod fit per sanguinem Christi: Quam abluionem aqua Baptismi externa & elementam significat & representat. Non autem est ipsa ablutio seu lavacrum, neq; etiam illam præstare aut efficere potest. Idem dicit pag. 433.

VIII.

Videntur autem vereri, Calvinus dicto lib. 4. Inst. c. 14. § 14. & c. 15. § 2. atq; Beza in Colloq. Mompelg. ne, si dicatur, hominem per baptismum regenerari, aliquid merito Christi detrahatur, causaq; nostrae justitiae, ipsi aquae in se ac verborum recitationi ascribantur: Verum liberabo eos hoc metu.

IX.

Non enim ipsi aquae in se tantam ascribimus efficaciam, neq; verborum recitationi aliquam inesse vim judicamus
magi-

magicam: sed omnem eius atq; totam, totam, inquam, quam
habet, & ἐνεργεῖα atq; efficaciam ex divina pendere institutione
asserimus, nec causam dicimus esse nostræ salutis efficien-
tem ex se, sed instrumentalem in hunc ipsum à Deo ordina-
tam finem.

X.

Frustra etiam Anhaltini in scripto suo, quod inscribunt,
Endliche abfertigung/ Anno 1598. V Vitebergensibus asse-
rentibus, Dei misericordiam, Spiritum sanctum, & remis-
sionem peccatorum, vi divine institutionis, & annexæ promif-
sionis, lavacro aquæ in verbo defixam & insitam esse, exem-
plum Simonis Magi Act. 8. opponunt. Alia siquidem infan-
tium & alia adultorum est ratio, quorum hi sua impœnitentia
& hypocrisi saluari ἐνεργεῖα sacramentorum seipsos spoliant,
illi verò, cum neq; bonum neq; malum noverint Deut: 2. o-
perationsi Spiritus sancti reluctari minimè possunt.

CAPVT III.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

I.

Sed missis his, ad rē revertamur. Cum tanta sit ex institu-
tione divina baptismi virtus, ut hominem natura filium iræ,
& æternæ damnationi obnoxium, Dei reddere filium, atque
Christi induere iustitiā possit, Quis summam eius necessita-
tem non agnoscat?

II.

Ea autem duplex est, Absoluta & ex conditione.

III.

Necessitas Baptismi absoluta est, ratione mandati Matt.
28. 19. quod transgredi & aspernari extrema ducendum
est, esse impietatis.

B

4. Con-

Conditionalis est ratio nostra indigentia: caro siquidem de carne nati Regni Dei hereditatem, nisi ex aqua & Spiritu renati adire non possumus 1. Cor. 15. 50. Ioh. 3. 5. & 6.

V.

Casum tamen Necessitatis semper exceptum volumus, quem huic ordinario regenerationis medio astrictum esse, misericordia Dei omnium hominum sitientis salutem, prohibet: Etsi enim nos huic medio omnino alligatos, qui eo uti possumus, voluit; se tamen eidem, quin extra eum in huiusmodi casu operari & possit & velit, non astringit, nec sua quippiam detraxit omnipotentia.

VI.

Quod exemplo latronis patet Luc. 23. & infantium Israëliticorum, qui licet totis quadraginta annis in deserto circumcisi non fuerint, hereditate tamen aeterna beatitudinis non sunt orbiati. Dominus enim quanto eos favore complecteretur aperte significat Deut. 2. 39.

VII.

Vnde Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 23. scribit: Sicut in latrone, quia per necessitatem baptismus corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adfuit. Sic etiam cum in infantibus vel non circumcisis vel non baptizatis fides ipsa praesto est, si per necessitatem desit, quod latroni defuit, perficitur salus.

VIII.

Etsi enim Cyprianus epistola ad Iubajanum, fol. 224. Verba Christi Luc. 12. 40. exponens ait, latronem fuisse baptizatum baptismo sanguinis; cui Augustinus lib. 3. de anima cap. 9. astipulari videtur hisce verbis: latro potuit divino iudicio inter eos reputari, qui martyrio purgantur: & lib. 2. retr. cap. 18. & 55. nec non lib. 1. retr. cap. 26. ubi incertum esse tradit, an latro vel à Iohanne baptista, vel in carcere, vel aqua è latere Christi exiliente in cruce, vel proprio sanguine baptizatus fuerit. 9. Rectius

IX.

Rectius tamen idem Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 22. statuit, ita scribens: Neq; latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec, quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. De consecr. dist. 4. cap. 34.

X.

Retinenda igitur est, de casu Necessitatis, regula contra Donatist. c. l. 4. 22. Tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus Religionis, sed articulus Necessitatis excludit.

CAPVT IV.

DE PÆDOBAPTISMO.

I.

Tanta igitur cum sit baptismi necessitas, ut ordinariè ad regnum Cælorum nobis nullus, nisi per eum, pateat aditus, sacrilegium certè Anabaptistarum infantes, à Baptismi lavacro arcentium, ut & in Deum, & in miseros infantulos injurium excusari nullo modo potest.

II.

1. Etenim quis infantes eodem, quo adultos teneri mandato negabit?

III.

2. Quis eos non de carne natos, nec labe atq; immunditiæ originali pollutos putabit: cum Dominus ipse omne cordis humani figmentum tantū malum dicat omni tempore, Gen. 6. 5. Et quidem à pueritiâ. Gen. 8. 21. Regius insuper Propheta se in peccatis conceptum, calefactum, fotum, natum queratur Psal. 51. 7. Quin etiâ ob patientiam à Deo laudatus Iob, mundum de immundo concipi posse semine disertè negat. Iob. 14. 3.

IV.

Et Paulus Apostolus nos omnes (quorum numero non sunt eximendi infantes) naturâ filios iræ pronunciat Eph. 2. 3. Et in omnes homines malum propagatum esse dicit ad condemnationem Rom. 5. 18. nec non per unum hominem conqueritur peccatum in mundum introisse, ac per peccatum mortem, atq; sic in omnes homines mortem pervasisse, quatenus omnes peccaverunt dicto c. 5. ad Rom. v. 12.

V.

Tantamne igitur cuiquam innatam savitiam ac crudelitatem, ut hos miseros infantes in peccato suo mori, & iræ Dei perpetuò subjacere potius, quam per hoc sanctissimum lavacrum corpori Christi inseri, iram divinam effugere, & omnium beneficiorum Christi, atq; ipsius tandem æternæ beatitudinis fieri hæredes velit.

VI.

3. In primis cum Christus non arceri non modo parvulos à se, sed etiam admitti atq; adduci jubeat, & id quò minus fiat, obstantibus acriter indignetur. Taliù nimirù asserere esse regnum cælorum Matth. 19. 14. Marc. 10. 14. Luc. 18. 16. Et sui patris voluntatem esse testetur, ne pereat vel unus ex pusillis istis Matth. 10. v. 10.

VII.

Si igitur ad Christum infantibus accessus patet (ut certè patere demonstratum est) quæro quomò modo id fieri possit? Num per verbi prædicationem? At illud per ætatem non audire, nedum intelligere possunt; Relinquitur ergo verbi vicem in infantibus Sacramenta sustinere. Atqui inter ea baptismus est Sacramentum initiationis, quo Christo accingimur, atque ipsius munimur justitiâ. Gal. 3. 27. Itaq; qui baptismum infantibus denegant, omni ipsis ad Christum aditu contra expressam ipsius Salvatoris mentem, quantum in se est, interdiciunt.

VIII.

4. Omnia

4. O impios Catabaptistas, qui tot infantum millia ex
sanctorum communione atq; Ecclesia (quam Christus sancti-
ficat mundans illam lavacro aquae in Verbo Eph. 5. 29) detur-
bare atq; proscribere student.

IX.

5. Circumcisionem infantibus nemo sanus negabit tribu-
tam; Atqui cā, ut Vet. Test. Sacramento, abrogatā successit ba-
ptismus. Col. 2. 11.

X.

6. Vaticinantur Prophetae de tempore Novi Test. fore id
tam felix tamq; beatum, ut ad levatam manum Domini &
exaltatum signum ipsius, gentes ac populi allaturi sint filios
suos in ulnis suis, & filias super humeros portaturi. Esa. 49. 22.
Quod est clarissimum de baptismo (quo infantes Ecclesiae Novi
Test. Domino adferuntur) vaticinium.

XI.

7. Quapropter exempla Apostolorum (qui integras fa-
milias baptizarunt Act. 16. 15. 1. Cor. 1. 16.) secuti, errori-
bus Anabaptistarum valere iussis, hoc infantulos beneficio
summo atq; maximo minime unquam privabimus.

CAPUT V.

DE FIDE INFANTIVM.

I.

Hisce clarissimis solidissimisq; solius scripturae fundamen-
tis, (neq; enim a grapha Ecclesiae traditione hac in parte niti-
mur ut Lojolistarum coryphaeus Bellarminus lib. 4. de Verb.
D. cap. 4. contendit) stabilitum Pædobaptismum unquamne
evertere poterunt Anabaptistae? Quibus quæso id effectum
dabant? Infantes, inquiunt, non sunt fidei capaces, Ergo nec
baptizandi.

II.

Respondemus. Eisi fides infantum qualis sit, cum reticeat

Scriptura, explicari nequeat; Fidem tamen eos habere, eamque veram & salvificam firmissimis demonstrari potest argumentis.

III.

1. Etenim si increduli sunt condemnati Marc. 16. 16. Ioh. 3. 18. Si ira Dei manet super incredulos, credentibus vitam possessuris aeternam Ioh. 3. 36. si fieri non potest ut quis Deo placeat absque fide Heb. 11. 6. Infantibus profecto (ad quos ius vite aeternae spectare ipse Christus contestatur Matt. 19. 14. Marc. 10. 14. Luc. 18. 16. Quosque baptizatos salutem consequi vix cuiquam potest esse dubium) fidem denegare & absurdum erit & impium.

IV.

2. Nec quisquam facile negabit, ut quis regeneretur, Christi iustitiam accingatur, atque beneficiorum mortis ipsius particeps reddatur, necessario requiri fidem, quoniam eam quod caret, peccatum est ex assertione D. Pauli Rom. 4. v. 23.

V.

Quoniam igitur tanta Christi beneficia infantibus baptismo tinctis contingere ipse affirmat Salvator Ioh. 3. 5. Et Paulus Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. fidei ipsos capaces esse concludimus.

VI.

3. Num quis de mundo victoriam reportare poterit, nisi fidei scuto probe munitus, iuxta illud Apostoli 1. Ioh. 5. 4. Hae est victoria, quae vicit mundum, Fides nostra, &c. Infantes autem qui Diaboli potestatem atque tyrannidem evasuros putas, nisi aetate prius de mundo atque carne triumpho? Quod autem infantes de mundo & diabolo triumphent, testatur Psal. 8. ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: ut destruas inimicum &c. & Iohannes dum ait, *ταυδ' εα*, infantes agnovisse Patrem, victoriam diaboli & mundi iisdem non minus quam senibus & invenibus tribuit, 1. Ioh. 2.

7. Immo

VII.

Imo quando baptizati infantes ex Deo nati sunt Ioh. 3. 5. mundum vincere omni absq; controversia possent; idem namq; Apostolus Iohannes dicto Loco inquit. Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.

VIII.

4. Itaq; fidem qui infantulos habere posse negat, cogitet se mendacij arguere Apostolum Paulum, qui Rom. 4. 11. Circumcisionem signaculum fuisse testatur justitiæ Fidei. Signaculum a. justitiæ Fidei in infantibus qui esse poterat, si fides in ipsis locum habere non posset?

IX.

5. Deniq; quid multis? Sufficiat nobis illud Christi Mat. 18. 6. Qui offenderit unum ex pusillis istis, Qui in me credunt &c. quibus Clarissimis verbis Christus pusillis fidem tribuere non dubitavit.

X.

Velle itaq; Deum fidem in infantibus operari quis amplius dubitat? Posse autem etsi nobis argumento prorsus invicto est ipsa Dei omnipotentia, ut alio opus non habeamus: tamen exemplum Iohannis B. in utero materno Messiam agnoscentis, & præ nimio gaudio exultantis, Luc. 1, 15, 41. & 44. Adversarios autem erroris cōvincit maximi & nequaquam ferendi.

XI.

Sed infantes carent usurrationis: Quasi verò Ratio homini fidem vel suggereret, vel adangeret: Quin imo usus rationis quanto sit surgenti fidei crescentiq; impedimento, estimabunt omnes cum carne luctantes adulti. Rom. 7. 2. Cor. 10. 5. I. Cor. 3. 18. 19.

XII.

At ubi adoleverint, credidisse se in infantia nesciunt: Quid in? An quia se nec natos, nec altos, nec baptizatos, nec vixisse

vixisse meminerunt, Idcirco ipsos nec nasci, nec ali, nec baptizari, nec vivere potuisse statues?

XIII.

Verum admirationis res non egeret, sibi fanatici hanc à scriptura alienissimam opinionem soli foverent, nisi etiam succenturiantes sibi ex una parte haberent Pontificios, ex altera Calvinianos.

XIV.

Illi enim infantes non actu proprio credere, sed in Ecclesia fide baptizari contendunt Concil. Trident. Sess. 7. Can. 13. de Baptismo.

XV.

Cui astipulatur Musculus usan: sicuti ipsius verba Mat. 9. ascribit Marloratus itidem ut ille Papizans. De singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos & nepotes propagent, etiam antequam nascantur. Atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per aetatem fidei sunt capaces.

XVI.

Sed hic error unico prophetae Abacuc cap. 2. axiomate funditus evertitur: Iustus SVA fide vivit. Et Ezech. 18. Iustitia iusti SUPER EVM. Et Rom. 4. Ei, qui credit, imputatur SVA Fides ad iustitiam. Ac SVO, non alieno, corde quilibet credit ad iustitiam: Rom. 10.

XVII.

Calviniani autem quoniam Sacramentis utentibus alienam fidem non prodesse sciunt, infantibus fide denegata (Beza in scripto Mompelgarti exhibito p. 435. & in ipso Colloq. p. 490. teste,) nullos in infantia, maximam partem nunquam, quosdam v. (quos ex absoluto quodam Decreto Dei ad vitam aeternam predestinatos fingunt) in aetate demum adulta, vel etiam in ipsa extrema senectute regenerari dicunt. Beza in Colloq. Mompelg. p. 469. & 470.

XVIII.

Et Petrus Martyr in locis suis classe 4. cap. 8. scribit. Neque ista duo) regeneratio & renovatio) nobis sic offeruntur in baptismo, quasi ea ante baptismum nullo modo habeamus. Neque enim

nim

nim parvulos baptizarcmus, nisi iam eis ad Ecclesiam & ad Christum arbitraremur pertinere.

XIX.

Anhaldini deniq; novo planè & hactenus inaudita opi-
nionis monstro in medium prodeuntes asserere non dubitant,
omnium Christianorum liberos, maxime piorum, in utero ad-
huc materno portatos actu ipso esse in fœdere, habere Spiritum
sanctum, esse hæredes vite æternæ: Eosque, qui semel ius
fœderis adepti sint, nullo unquam tempore excidere deinceps
posse. Endliche abfertigung fol. 18.

CAPVT VI.

DE ANABAPTISMO.

I.

Verum rejeçtâ hac erroneâ, impia et Epicurea opinione
antequam ad secundum nostræ disputationis Caput progre-
diamur, questionem de iterando Baptismo multis olim agita-
tam paucis videamus.

II.

Patres quidam considerantes tantam huius lavacri esse
necessitatem, tantam ex ordinatione divinâ virtutem, & effi-
caciâ; tam altè peccatis sopitum humanum genus, tamq; fre-
quentibus, atq; varijs obnoxium lapsibus, dubitabant, Anne
baptismus, prout Cæna Domini, esset iterandus imprimis vero
post gravem aliquem hominis lapsum.

III.

Sunt qui affirmant: Sunt qui negant. Nos omni manda-
to juris, omniq; factò exempli destituti, Negantem tuemur.

IV.

Nam nec Circumcisionem uspiam legimus iteratam; nec
fieri potest ut quis semel initiatus, si suorum peccatorum pœ-
nitentiâ ductus, se ad misericordiam Dei conjecerit, de no-
vo initietur; Neq; enim fœdus legitime constitutum, si ex al-
tera parte rumpatur, de novo iniri, sed restaurari dicitur.

C

5. Et

V.

Et sane cum baptismus lavacrum sit regenerationis, quisquamne tam erit absurdus, ut hominem semel tantum prognatum, bis posse aut etiam saepius renasci putet?

VI.

Hoc itaque Dei fœdus et irratione hominum sapissimè violatur & frangitur: ex parte tamen Dei, qui pœnitentia non ducitur. 1. Reg. 15. 19. Mal 3. 6. manet firmum ac inviolabile; nec minorem obtinet vim ante 40. pluresve annos, quàm eo ipso momento collatum.

VII.

Nos enim licet increduli simus, ille tamen fidelis manet, & negare se ipsum non potest. 2. Tim. 2. 13. Nec incredulitas hominum, Dei fidem irritam reddit. Rom. 3. 3.

VIII.

Pontificij quinquam non esse iterandum concedant, tamen vim eius atque efficiam non perpetuam dicunt, secunda efficit à tabulâ Pœnitentiæ nimirum, quâ misero peccatori (qui per peccata mortalia fœdere Dei excidit) iam in gratiam cum Deo redire cupienti ex hoc vastissimo pelago sit eluctandum: Votis insuper monasticis tantam vim adscribunt, ut ea baptismum secundum appellare & sacramento initiationis longè præponere non vereantur.

IX.

Quæ opinio ut à scriptura aliena, atque in Baptismum, ipsiusque authorem Deum blasphema & contumeliosa, merito à nobis rejicitur.

X.

Ac veteres sanè magno consensu de non iteranda ea, quæ per baptismum fit, pœnitentia & renovatione exposuerunt locum illum Ebr. 6. 4. Impossibile est &c: Atque ita Novatianos omnem simpliciter lapsis pœnitentiam denegantes validissimè represserunt: ut videre est apud Cyrillum lib. 5. in Ioh. ca. 17. Augustinum de vera & falsa pœnitentia cap. 3. Damasc. lib. 4. orth.

orib. fid. cap. 5. Chrysoſtomum, Theophylactum, Theodoretum in commentarijs: cui expoſitioni etiã ipſa textus *συνέβαι* ultro aſtipulatur, cum Apoſtolus neget adultos in Chriſtianiſmo denuo eſſe initiandos & revocandos ad illam catecheti- cam tyronibus olim cognitam baptiſmi doctrinam & impoſi- tionis manuum, ac reſurrectionis mortuorum.

CAPVT VII.
DE PERSONIS BAPTI-
zantibus.

I.

Absolutis igitur ijs, quæ ad declarationem Naturæ, effi- cacia atq; *ἑνεργείας* baptiſmi facere videbantur, accessum fa- ciemus ad illa, quæ ſalvo baptiſmo eiusq; fructu vel ad eſſe vel ab eſſe poſſunt.

II.

Illæ verò omnium & commodiſimè & breviſimè tracta- ri poſſe videntur, ſi primò Perſonæ baptizantes. Deinde Ce- remoniæ baptiſmo adhiberi ſolite conſiderentur.

III.

Eſt autem adminiſtratio Baptiſmi ordinariè commiſſa miniſterio verbi (cuius & ipſa pars & membrum) iuxta illud Chriſti præceptum Apoſtoliſ, atq; ſub ipſorum nomine toti mi- niſterio datum Marc. 16. 15. & 16. Matth. 28. 19. Euntes do- cete omnes gentes baptizantes, &c.

IV.

Itaq; ulli laico vel mulieri in publico Eccleſiæ cœtu, ſicuti docere licitum non eſt 1. Cor. 14. 34. & 35. 1. Tim. 2. 12. Ita neq; baptiſmum ordinariè adminiſtrandi poteſtatem con- cidimus, ne ſumma inde in Eccleſia oriatur confuſio.

V.

Quo minùs tamen id à Laico, vel (viro abſente) à muliere in caſu neceſſitatis (ſi verbi divini miniſter nullo modo haberi poſſit)

possit) fiat, nihil obstat; imo summa Baptismi (de qua hactenus egimus) necessitas, & mæstorum parentum mæror & tristitia efflagitat atq; exposcit.

VI.

Licere autem mulieri aut laico hoc præstare officium infantibus summo in discrimine vitæ constitutis, aliquot argumentis (multa licet proferri possent) ex scriptura deductis probabimus.

VII.

1. Quandoquidem cuiq; Patri Matriq; familias non concessum solum ac licitum, sed & severè à Deo iniunctum est, ut suos liberos atq; familiam verbum Dei docerent Deut. 6. 7. Certè nemo, nisi cum rectè à ratione insanire velit, his baptisimi administrationem in tali præsertim casu affirmabit illicitam?

VIII.

2. Quod mulieres in Vet. Test. Circumcisionem administrarint testatur exemplum Zipporæ Exod. 4. 25. idq; usitatum fuisse videre licet ex 1. Machab. 1. 63. & 2. Machab. 6. 10. Quæ autem illis præ mulieribus in Novo Testamento concessa fuere privilegia?

IX.

3. Si mulieribus prophetandi, iudicandi, docendi munus etiam extra hunc casum datum tributumq; fuit; Baptismi profecto administrationem illis, tanta imprimis urgente necessitate concedere oportebit: illud autem extra omnem positum est. Controversiæ aliam, exempla nobis præbente Scriptura Iud. 4. 4. 4 Reg. 22. 14. Luc. 2. 26. Et quid de Priscilla dicam, quam ipse Paulus suam appellat adiutricem in Christo Iesu Rom. 16. 3.

X.

4. Quapropter primitivæ & purioris Ecclesiæ vestigijs insistentes baptismum à laicis & mulieribus administratum, si in ipsis substantialibus error non fuerit, ratum coram Deo
atque

atque firmum esse judicamus. Vetustatis veneranda testimonia qui requirit annotata sunt de consecr. dist. 4. ex Isidori lib. 2. offic. cap. 24. ex Augustini epistola ad Fortunatum.

XI.

5. Neque enim in Christo vel mas est, vel femina Gal. 3. 28. Nec minus mulieribus quam viris illud Petri competit: Vos genus electum, regale sacerdotium, Gens sancta. 1. Pet. 1. 9.

XII.

Bezae igitur blasphemias merito detestamur & execramur, qui baptismum foeminarum non plaris se facere quam Fabulam scribit: seq. a Diabolo in cathedra ministerij sedente, quam a muliere fatetur malle esse baptizatum.

CAPVT VIII.

DE INTENTIONE BAPTISAN- tis & Baptismo hæreticorum ac malorum.

I.

Cæterum quod ad questionem illam in Pontificatu vehementer agitatum de Intentione Ministri, nec non alteram quoque de hæreticorum & schismaticorum, malorumque baptismo attingit, utraq. potest eadem distinctione expediri, si intentio interna, quæ est mentis, ab Actione externa, quæ est facti, & administrationis, discernatur. Nam supra cap. 1. th. 3. ostensum est, sinem actionis ad Baptismi substantiam requiri, utpote quod discernitur hæc sacra fœderalis actio à similibus prophanis lotionibus obstetricum, balneatorum & aliorum, quæ itidem in nomine Dei & S. Trinitatis suscipi possunt.

II.

Quando proinde baptismus factus ipso administratur debita forma materia & sine a Christo sanctis, verus est baptismus, sive hæreticus, sive schismaticus, sive adulter, sive homicida eum conferat, neque eius in mente latens intentio vel sententia

C 3

& opi-

Et opinio attendi debet. Nisi omnium Christianorum baptis-
mum in dubium vocare velimus. Neque enim qui plantat vel
rigat est aliquid, sed qui dat incrementum Deus 1. Cor. 3. Luth.
de capt. Bab: Et in hom. de Bapt. T. 7. V V: Lat. Et T. 7. germ.
V Vir: fol: 496.

III.

Valet enim Augustini regula lib. 3. de Baptismo contra
Donatist: cap. 15. Sacramenta si eadem sunt, ubique integra
sunt, etiamsi prave intelligantur, et discordiose tractantur.
Sicut scriptura Evangelij, si eadem ipsa est, ubique integra est,
etiamsi innumerabili falsarum opinionum pravitate asseratur.

IV.

Et libro 4. cap. 10. In questione de Baptismo non est co-
gitandum, quis det, sed quid det; aut quis accipiat, sed quid
accipiat: aut quis habeat, sed quid habeat. Cui Iustinus mar-
tyr quest. 5. astipulatur.

Baptismus enim talis est, qualis ille, in cuius potestate da-
tur, non qualis ille, per cuius ministerium datur. Quid enim
tibi faciat malus minister, ubi bonus est Dominus? Quid te
impedit malitiosus praco, ubi benevolus est iudex? Neque enim,
qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum
dat Deus. 1. Cor. 3. Ego dico et nos dicimus omnes, quia justos
oportet esse omnes, per quos baptisatur; justos esse oportet tanti
Iudicis ministros, si ministrare iuste voluerint. Si autem nolue-
rint esse iusti, qui in cathedra Moysis sedent, securum me fecit
magister meus, de quo spiritus eius dixit: Hic est, qui bap-
tizat: Non curo adulterum, non homicidam, non ebriosum,
quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui
baptizat. Augustin: tract. 5. in Iohann.

VI.

Et iterum Augustinus lib. 3. contra Cresconium gramm.
cap. 6. inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est
melior baptismus, qui per meliorem datur, nullo modo est ma-
lus, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus da-
tur; et ideo per ministros dispares Dei munus aequale est:
QVIA NON ILLORVM, SED EIVS EST.

7. Hinc

Hinc Augustinus baptismum à catechumeno nondum baptisato in naufragij periculo administratum approbat in Epistola ad Fortunatum: & de Iude Baptismo scribit tract. 5. in Iohann: Quos baptisabat Iudas, non sunt iterum baptisati, quia quos Iudas baptisavit, Christus baptisavit. Et in hanc sententiam plura idem disputat lib. 5. cōtra Donatist. cap. 20. & lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 1. Et Lutherus de captivitate Babylonica ait: Imò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, verè baptisatum esse in nomine Domini.

VIII.

Et Augustinus atq; Isidorus non censent à pagano per ignorantiam juxta Christi institutionem baptisatum rebaptisari debere, de consecr: dist: 4. cap. 23. 39. 40. 41. Neq; catechumenos ab Athanasio per lusum, integra tamen forma, baptisatos rebaptisari voluit Alexander cum presbyterio, referente Ruffino lib. 1. cap. 14, & causas, quas illi spectarint, exponente Sozomeno lib. 2. cap. 16, primò quòd factum fuerit à pueris ἐξ ἀπλότητος, deinde quòd viderint πᾶσαι τῆς ἐκκλησιαστικῆς τῶν ἁγίων ἀκριβῶς φυλαχθῆσαι.

IX.

Si verò vulgaris instituatür sordium corporis ablutio, aut etiam jocularis, Mimica, vel ὑβριστικὴ baptismi representatio, sive illusio, adhibitis verbis baptismi proprijs, ejusmodi actio pro baptismò, ob defectum veri finis, haberi non potest. Non enim hoc vult institutio Baptismi, rectè docente Chemnicio, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil sit aliud, quàm vel ridiculus lusus, vel Mimica subsannatio, vel prophanatio institutionis cum recitatione verborum, sed requirit, ut peculiaris & fœderalis instituatür actio, qua discipuli Christi fiant, & cum Deo fœdus ineant ij, qui extra fœdus sub potestate tenebrarum erant Matth. 28. 1. Pet. 3. Ephes. 2.

10. Cor-

X.

Concludit itaq; Augustinus lib. 65. questionum ad Orosium quest. 59. Vnum esse baptisma Ecclesie & hereticorum (eorum scilicet, qui in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti baptizant,) licet virtutem ejus abnegent.

XI.

Atq; hinc liquidissime apparet, ad substantiam baptismi non requiri internam mentis & cogitationum Ministri intentionem, sive illa fingatur habitualis, sive virtualis, sive actualis, ut Summa angelica & Bellarminus ejus verba transcribens lib. 1. de Sacramentis cap. 27. distinguit: neq; ut Ambrosius Catharinus opinatur, intentionem ministri apud animum, faciendi actum externum, quem facit Ecclesia; licet Bellarminus dicto loco ejus sententiam cum hereticorum, id est, orthodoxorum convenire censeat, quod a veritate alienissimum est: neq; ullam deniq; in ministris dum Sacramentum hoc conficiunt, & conferunt, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ut Tridentini Areopagite sub anathematis fulgure statuerunt: sed satis esse, si foris ipso opere omniumq; partium hujus Sacramenti administratione palam fiat, quod Christus fieri precepit, qualiscunq; interim sit latitans intus animorum administrantis & percipientis aliorumq; intentio.

CAPVT IX.

DE RITIBVS ET CEREMONIJS.

I.

Hec de personis baptizantibus. Videamus nunc Cere-
monias. Ee vero vel sunt, ab Apostolis usurpata, habentq;
sua fundamenta in S. Scriptura, vel sunt a primitiva Ecclesie
& Patribus invente, vel demum ab Antichristo Rom. in
Ecclesiam introducte.

2. Primi

II.

Primi generis sunt conciones seu admonitiones ad populum de Natura, efficacia, usu baptismi; Et preces, quibus Ecclesia Deo gratias agebat pro hoc tanto in se collato beneficio, ipsiq; se & modo baptizatum ardentibus votis commendabat.

III.

Et eas quidem ceremonias fundatas esse in scriptura patet ex Act. 8. & c. 22. 16. dicit Ananias Paulo, Baptizare & ablue peccata tua Invocato nomine Iesu. Sic in ipsis verbis institutionis Cœnæ Christus gratias egit, & ut illa celebraretur in sui commemorationem præcepit. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11, 24. Et Paulus graviter instituit Corinthios suos, ostendens rationem cum decoro, ordine, fructu usurpandi Sacramenta. 1. Cor. 11.

IV.

Non tamen Christus vel Apostoli certam verborum formulam Ecclesiæ præscripserunt, ut nos Christianæ libertatis in huiusmodi rebus admonerent, utq; eam tueremur incitarent.

V.

Secundi generis Ceremonia sunt, quæ in scriptura quidem fundamentum non habent, sed sunt à Patribus ordinis, decori & maioris reverentiæ causa Baptismo additæ, quarum numerus eo usq; tandem excrevit, ut magnitudine laboraret sua.

VI.

Sunt quidem inter istos ritus, qui, salvâ libertate Christianâ, certas ob causas servari possunt. Cuius generis sunt adhibitio Patrinarum, Confessio fidei, Abrenunciatio, Exorcismus, &c.

VII.

Sunt & qui vel efficaciam atq; fructum baptismi si non obscurant non, usq; adeo tamen illustrant, licet vetustatis testimonium habeant, ut cereus Paschalis, Sal, oleum &c. qui merito in quibusdam Ecclesiis reformatis non usurpantur.

VIII.


Tertij generis sunt Ritus superstitiosi Pontificiorum, quorum numerum quis poterit enarrare? Eos verò quia omnes ferme impij sunt & baptismo summas offundunt tenebras, nostro jure improbamus & rejicimus.

IX.

In liberis igitur & superstitione carentibus Ceremonijs libertatem constanter tueamur Christianam: Eorum verò clamores, qui ritus ad rationem absq; peccato mortali vel omitti, vel observari non posse sentiunt, repudiamus & damnamus. Rom. 8. 1. Cor. 2. Col. 2.

Det nobis Dominus noster Iesus Christus, ut libertate nostrâ rectè & legitimè ex præscripto ipsius frui possimus.

FINIS.



AD NOBILISSIMUM ET
HUMANISSIMUM D. AXELIVM,
DE SACROSANCTO BAPTIS-
mate disputantem.



*V*M nitida titulo Sophia decorarier
almo

Percupiant multi, paucis cur contigit,
imò

Sectantes veram, non raro occurrit inanis?

*In promptu causa est, namque organa vera re-
linquunt.*

*Hic siquidem in vino putat esse sepultã, ast alter
Gloriolam in molli lectica quarit inanè.*

Rectius ast alij, monumenta legendo sophorum,

Quiq; aures viuis doctoribus oraq; dando,

Credunt, & precibus sophiã, duce Numine divo,

Posse parari; quos inter sis Nobilis ortu,

Nobilis Axeli, versas noctuq; diuq;

Biblia sacra manu, generoso & pectore. Posthac

Ergò Deo vivas, Patriaq; tibiq;, tuisq;

Sitq; via Dominus, & certa regula vita.

Jonas Bergeri Rhotovius Sve-
co Smalandus.

AD NOBILISSIMUM ET
DOCTISSIMUM Dn. AXELIVM
GOSTAVI OXENSTIERN DE FIL-
Holm, fautorem suum benevolentis. de SS.
Baptismo disputantem.



Nobilis AXELI, factis jam nobile præbes
 Ingenij specimen, quod probat ipse Deus,
 Quodq; probat, laudatq; cohors uno ore No-
 vena,
 Quot tincti veræ sunt studijs sophiæ.
 Axeli, egregio celebres conamine vincis
 Maiorum laudes: laus tua magna manet,
 Stemmate præclaro Albiacas Generosus ad oras
 Venisti, hinc studiis nobilitatus abis.
 Quod cupidus fueris sacras cognoscere Musas,
 Innumeros testes, me sine, habes nitidos,
 Eximiam tibi qui laudem tribuunt sine furo:
 Vera quidem laus est, quam tua facta parant,
 Iam fructum sacri & verum baptismatis usum
 Monstras ex sacris, non sine laude tui,
 Vipereasq; strophas, Fidei ad normam, hæreticorum,
 Diluis ingenii dexteritate tui,
 Permulti indignum sacras cognoscere leges
 Esse putant, molli nobilitate sua;
 Quiq; operam cæci potius dant rebus ineptis:
 Hisce parum certè nobilitatis inest.
 At labor & virtus, Axeli, sunt tibi curæ:
 Ergo vera salus, gloria, fama, tua est.

N. T.

officiosè colens

Jonas N. Oriensul. Svec.

05 A 1557

ULB Halle 3
003 779 432



V 377 da,





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



CTRI-
S, DE
blicam dispu-
ensi pro-
NERO,
FESSORE
NSTERN,
horis
Piano

